DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

DIARRHOEA BILIOSA

QUAM

ADSPIRANTE NUMINIS DIVINI GRATIA

CONSENSU ATQVE AUTORITATE GRATIOSÆ FACULT. MEDICÆ IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRIDERICIANA PROFESS. PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS. REGIS IN COMITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO ACAD. IMPER. LEOPOLD. CAROL. NAT. CUR. NEC NON, SOCIET. REGIÆ BORUSS. SCIENT. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES, PRIVILEGIA ET IMMUNITATES LEGITIME CAPESSENDI

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

Anno MDCCXXIX. D. Maj.

PUBLICO AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBIICIET

JOHANNES ANDREAS Münnich,

BELLEBIA MAGDEB.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

VIRO
ILLUSTRI AMPLISSIMO ATQUE EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO
DOMINO
AUGUSTO FRIDERICO
BODEN
POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A
CONSILIIS, RERUM CAMERALIUM,
BELLICARUM ATQUE DOMANIALIUM, INTIMIS.

DOMINO AC PATRONO SUO
LONGE BENIGNISSIMO

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

IN PIÆ ATQUE DEVOTÆ MENTIS SIGNIFICATIONEM

SACRAM ESSE

VOLUIT

JOH. ANDR. Münnich.

I.

DE Diarrhœa bilioſa, cum brevem tractationem inſtituamus, ante omnia neceſſitas requirit, ut nominis explanationem, cum rei ipſius definitione præmittamus. Cum itaque notiſſimum ſit, Diarrhoëam ſimpliciter ſumptam profluvium ventris præternaturale denotare, ſub quo ad frequentius deſidendum, a quacunque demum cauſa, vel cum, vel ſine gravioribus moleſtiis cogimur: ſimul vero neminem lateat, ſub copioſa alvi dejectione modo hanc modo illam ſpecialem excerni materiam, quæ ſingulæ ſpeciei Diarrhoëæ denominationem ſuppeditare ſolet; nemo non facile videbit hanc quoque Diarrhoëam bilioſam ſingularem conſtituere ſpeciem profluvii ventris, a materia ſpecialiter excreta ſpecialiter denominandi, quæ hic ſub additamento bilioſæ exprimitur. Eſt itaque DIARRHOEA BILIOSA alvina excretio præter naturam aucta, & doloroſa, ſub qua potiſſimum & principaliter materia bilioſa manifeſto, tanquam cauſa proxima, & materia immediate peccans, excernitur.

II.

Palmarium itaque fundamentum diſtinctionis hujus Diarrhoëæ ab aliis poſitum eſt in materia excreta, quæ Bilis vocatur; & ſi non unice ſola, tamen manifeſto & copioſe, alias materias ſuperando ejicitur. Siquidem enim in Diarrhoëa ſimplici & mucido ſeroſâ præter excrementa aut poſt illa, non niſi materia mucida, vel paulo magis aquoſa, albidi coloris rejicitur; in Dyſenteria autem ſanguis excernitur, & in Lienterico aut Coëliaco fluxu, vel cibi nondum digeſti, vel chymoſa, vel chyloſa demum ſubſtantia materiam excretionis conſtituunt; ita ſpecialiter ſub noſtra Diarrhoëa bilis tam colore, quam copia, & acrimonia ſub ipſa excretione ſufficienter ſeſe prodit, eoque ipſo ſingulam morbi ſpeciem conſtituit.

III.

Signa ex quorum præſentia, noſtra Diarrhoëa ſpeciatim agnoſcitur, partim concernunt excretionis materiam colore ſeſe manifeſtantem, partim ſymptomata & moleſtias, quibus hæc excretio morboſa ordinarie ſtipata eſſe ſolet; quæ ab interiore materiæ peccantis conditione & indole dependent. Sicut enim in Diarrhoëa ſeroſa ac ſimplici, mucida aquoſa albidi coloris excernuntur, ita in hac bilioſa, in principio excrementa, mox vero mucida quoque ſubſtantia flavedine, aut virore, ſatis intenſe tincta excernitur, luculento teſtimonio, bilem tanquam humorem flavum aut virideſcentem, in majore & extraordinaria copia effuſam atque ad inteſtina delatam, reliquis materiis intermixtam eſſe. Aliquando, & quidem præcipue apud infantes, leviore adhuc exiſtente affectus gradu, excernitur colliquamentum quoddam intenſe flavum, mucidum, foëtidi & nidoroſi coloris, aut tenax viſcoſum,

colo-

colore ſuo non modo vitellum ovi bene ſaturatum referens, ſed intra conſiſtentiam ſuam mucido pellucidam, grandines quaſi flaveſcentes & albicantes, (wie gehackte Eyer) continet; unde quoque bilis vitellinæ tunc nomen accipit. Vel demum ſub graviore malo ſeſe exſerit dejectione viridi, ubi excrementa infantum non modo colorem videm, ſed liveſcentem & quaſi cœruleum induunt, porraceumque ſive praſſinum colorem referunt, imo æruginoſum.

IV.

Symptomata moleſta quibus Diarrhoea biliosa ſtipatur, multum quoque ab illis differunt, quæ ſimplicem comitantur, ſicut enim hæc, niſi extraordinarium quid accidat, vix præter frequentiam deſidendi moleſta eſſe ſolet, ita illa ægros haud procul ab initio, torminibus, borborygmis vehementioribus, ſpaſticis abdominis ac inteſtinorum tractionibus, preſſionibus, & ardoribus in ipſis inteſtinis, & ſpeciatim ſub exitu in inteſtino recto, excruciat, ut ægri de ſenſu ardente in inteſtinis, quaſi carbones urentes ac ardentes tranſirent, conquerantur, imo haud raro ani excoriationem inde patiantur. Sicut autem apud infantes colore bilis viride æris facile æmulatur, ita ipſi cauſtica ſua indole non cedit, unde non modo infantum tenera inteſtina arrodendo, commotionum febrilium inflammatoriarum, convulſionumque graviſſimarum cauſa exiſtit, ſæpiſſime quoque exteriorem in natibus cuticulam arrodit & excoriat; ſed & leviori temporis intervallo ipſa linteamina quibus excrementa excepta fuerunt, colore viridi pertinaciſſime imbuit, imo inſtar corroſivi liquoris adeo corrodit, ut admota leviter manu, facile in fruſtula diſcerpi queant.

V.

V.

Subjecta, quibus hæc Diarrhœa facile infenſa exiſtit quoad ætatem ſunt diverſa, dum quotidiana experientia teſtatur, adultiores atque ætate provectiores, æque ac infantes præcipue tenellos ubera adhuc emulgentes ea corripi, hosque longe frequentius in comparatione, quam adultos. Si autem ad adultos revertamur ac temperamentorum differentiam attendamus, præ aliis Cholerici puriores, & Cholerico-ſanguinei huic affectui facilius ſubjiciuntur; quoniam hic bilis ſemper majore copia abundat, & præſens exiſtit, atque hæc temperamenta præ reliquis ad iracundas commotiones vehementiores, bilisque eructationes extraordinarias proniora exiſtunt.

VI.

Subjectum ſpeciale ſeu partem affectam quod concernit, merito totus inteſtinorum canalis, ſine exceptione tenuitatis aut craſſitiei illud audit: ſiquidem Bilis, quando copioſe eructatur atque effunditur, ſub ſua effuſione per ductum cholodochum mox duodenum ingreditur, atque ad excretionem per rectum pertingere nequit, niſi omnes inteſtinorum tenuium atque craſſorum meandros atque anfractus transmigraverit. Cum autem tunicæ inteſtinorum partim tenuitate ac ſenſibilitate differant, partim ratione ſitus materiæ peccanti proximiores aut remotiores exiſtant, notandum erit, maxime omnium immediate tunicam villoſam ac nerveam a bile ejusque acrimonia affici, doloresque ſenſibiliſſimos pati, ſicut reliquæ per conſenſum & connexionem, partim ſpaſmos doloroſos, partim a borborygmis & flatibus concurrentibus, ſenſibiliſſimas expanſiones experiuntur.

VII.

Ad cauſas dum devolvimur, ipſa affectus denominatio

tio teſtatur, proximam atque primariam ipſius cauſam bili adſcribi, tanquam materiæ peccanti, quæ præſentia ſua ac conditione, prædicta moleſta ſymptomata cum ipſa excretione producit. Nec de veritate hujus aſſerti ullum eſt dubium, cum phœnomena id declarantia adeo ſint manifeſta atque in ſenſus incurrunt, ut de illo haud dubitare liceat; ſicut ex antecedentibus jam patet. Cum autem in omni homine, omni tempore bilis in corpore præſto ſit, nec ſemper & ubique tales effectus morbidos edat, quæſtio merito incidit, quo pacto bilis alias ſine damno in corpore hoſpitans, hujus affectus cauſa evadat. Notum itaque eſſe debet, quod bilis in ſtatu naturali ex ſanguine ut materia ſanguinis recrementitia quotidie ſecernatur, atque magna ex parte in cyſtidem felleam ad futuros uſus deponatur; dum probabiliter aliqua etiam bilis in hepate ſeparatæ portio per ductum hepaticum & cholodochum immediate ad duodenum tranſit, ibique ſemper lenem ſtimulum excretorium per inteſtina exſerat, cui ſub vario hepatis motu cyſtidisque felleæ preſſione bilis cyſticæ quidquam per intervalla accedit, ſimilem cum priori edens, effectum. Præterea bilis ex ſua natura ac indole potiſſimum alcalinæ ſaponariæ ſubſtantiæ exiſtit, quæ tamen principium quoddam ſulphureo acidum ſubtile atque ſatis activum admixtum habet, ideoque ſemper effectus ſtimulantes, licet leviores in inteſtinis exſerit, quo reſpectu quoque clyſter naturalis audit, dum videmus deficiente bile in inteſtinis, excretionem quoque alvinam pro rata deficere.

IIX.

Cum itaque bilis ſub naturali ſua & ordinaria conſideratione cauſam hujus affectus non conſtituat, neceſſe eſt,

ut vel quantitate, vel qualitate peccante hunc effectum præſtet. Siquidem itaque bilis defectus alvi excretionem impedit atque ſufflaminat, ita ex oppoſitò exceſſiva bilis quantitas, quandó ſimul & ſemel ad duodenum & reliqua inteſtina fertur, (præcipue cyſticæ tanquam concentratioris) major atque inſolitus hinc oritur in inteſtinis ſtimulus, dum ſub extraordinaria illa bilis quantitate, neceſſario quoque major acrimonia præſto eſt, quæ tunicam inteſtinorum præcipue nerveam ſub villoſa jacentem vellicat, ſtimulat, moleſteque afficit, unde partim ſymptomata moleſta de quibus ſupra dictum eſt, partim major quoque humoris ſeroſo mucidi per glandulas inteſtinales affluxus cauſatur; qui materiam excretionis conjunctam conſtituit. Non tamen ſola bilis copia ſemper & unice in offendiculo eſt, verum utplurimum ad majorem minoremve ipſius acredinem ſimul erit reſpiciendum, quæ vel naturalis, vel acceſſoria eſſe poteſt. Naturaliter majorem in bile acrimoniam ſupponimus in ſubjectis quæ ſupra declaravimus tanquam temperamenta cholerica & cholerico ſanguinea, de quibus compertum habemus, quod comparative in ſinu ſanguinis & humorum longe plures talis modi particulas alant, quæ ad bilis compoſitionem, augmentationem, acoriſque concentrationem facere poſſunt, ideoque proniorem ad hunc affectum diſppoſitionem, data occaſione, poſſideant.

IX.

Acceſſoriam acrimoniam vocamus, quando ex acceſſu aut concurſu cauſarum remotiorum, ſi cum bile miſceantur, acido ſulphureum principium exaltatur motumque majorem inteſtinum ſuſcipit, ita ut ex concurſu plurium cauſarum acrimonia acida in bile, ſuperet in do-

lem

lem ipſius alcalinam. Id quod facile evenire poteſt, quando vel in univerſo victu per notabile tempus errores commiſſi ſunt, ut ſaburra vitioſa, aceſcens, fermenteſcibilis in primis viis collecta præſto ſit, & cum bile in duodenum effuſa coëat, talemque effectum prodat; vel ſi proxime ſub paſtu, ante iracundiam perpeſſam, aut ſub illa, dulcia, fermenteſcibilia, poma, pruna recentia, uvæ aliave comedantur, aut cereviſiæ malæ indolis, haud probe defœcatæ, præcipue dulces albidæ, vinaque acida, recentia, fermenteſcibilia ſuperbibantur; a quibus omnibus cauſa materialis proxima & primaria in qualitate heterogenea augetur, in acore exaltatur; & ita ad graviora ſymptomata producenda, apta redditur. Ut Occaſionalem atque externam cauſam hujus affectus merito accuſamus iracundas commotiones vehementiores, præcipue ſi ſub aſſumtione ciborum, aut vel proxime ante aut poſt illam eveniant; cum quotidiana id doceat obſervatio, quod haud facile tales Diarrhœæ ſine hac cauſa prægreſſa eveniant, adeo ut teneriora ac ſenſibiliora dentur ſubjecta & individua, quæ ex conſuetudine ſemel aut iterato inducta, ſæpe adeo leviter ira commoveantur, ut ſe ipſos commotos neſciant aut negent, nihilominus tamen ſemper hanc excretionis ſpeciem, quamquam non ſemper admodum gravem experiuntur, & ab ipſo effectu conſueto certiores, quod ira commoti fuerint, redduntur.

X.

Quemadmodum hæ cauſæ apud adultiores, vel ſeorſim vel conjunctim hunc noſtrum adfectum producere valent, ita merito recordamur, quod in ſuperioribus quoque mentionem teneriorum infantum tanquam ſubjectorum hujus Diarrhœæ fecerimus, ubi haud ſine ra-

tione quis dubium movere poterit, in his præcipue lactantibus, neque cauſam occaſionalem, iracundam nempe commotionem, neque immediatam bilis per ductum cholodochum effuſionem in duodenum ad minimum notorie accuſari poſſe: ad quod monemus, eſſe quidem aliquos, qui infantulis quoque motus ejusmodi iracundos adſcribendos eſſe haud dubitant, eorumque ejulatus ac ploratus pro ſigno aſſumunt. Quamquam vero nec e diametro contradicere velimus, tamen has commotiones vix tanti agnoſcere poſſumus, ut talis exinde emergat effectus, qualis gradu apud infantes ſe prodit. Unde potius dicendum eſſe ſtatuimus materiam illam bilioſam & acrem, aliunde ad primas vias pulionum deferri: toto enim videmus die, infantes hac Diarrhœa corripi, quando matres aut nutrices, quarum mammas emulgent, ira vehementer commotæ, proxime poſt talem errorem commiſſum ubera infantibus præbent, ipſisque lac acrimonia bilioſa defœdatum ac inquinatum offerunt: qua via facillime hoc virus hauriunt, quod, cum lacti acescenti ac muceſcenti ſimul mixtum ſit, tanto facilius in ventriculo tenellorum, ubi alias ſemper reliquiæ acidulæ hærent, acorem contrahit cauſticum & corroſivum, tantumque odoris nidoroſi gradum, ut etiam canes, qui alias excreta infantulorum ſanorum non reſpuunt, ſolo odore pertæſi hæc excrementa averſentur. Quanto magis autem hæc commixtio cum lacte, non modo acorem ſed etiam muciditatem tenacem poſt ſe trahit, tanto magis hanc ob rationem graviſſimorum torminum atque dolorum cauſa exiſtit, quoniam tenacitate firmiſſime inteſtinis adhæret, acrimonia arrodit, ut natura ad majores motus ſpaſticos, pro expulſione materiæ nocivæ excitetur,

qui

qui tamen haud raro ita cedunt, ut, prævalente materia, ejusque incorrigibilitate, inflammationes in inteſtinis oriantur, & graviſſimæ convulſiones, vitæ ultimum imponant terminum.

XI.

Ad Prognoſin declarandam devolvimur, an nempe affectus noſter aliquid aut multum periculi alat? quod ut rite fiat, merito attendenda eſt materia peccans, in ſua quantitate & qualitate: partes quæ potiſſimum patiuntur; ſubjecta quæ affectus occupat, & tempus durationis. Levius itaque adeſſe periculum declaramus, ſi bilis nec in enormi quantitate in inteſtinorum canalem effuſa fuerit, nec nimia acrimonia acida laboret ac inquinata ſit, ſed potius alcalinam ſuam indolem magis retineat: ſi partes affectæ non nimis teneræ ſint, unde melius eſt ſi bilis cito ad inteſtina craſſa demandetur, & tenuia tempeſtive ab illa liberentur: ſi ſubjecta robuſtiora neque debilioſa fuerint, quo intuitu adultiores ceteris paribus in comparatione ad infantes facilius hunc affectum ferre poſſunt: & tandem ſi tempeſtive occaſio detur affectui legitime occurrendi, quo cito materia peccans corrigatur, ſubigatur, eliminetur, ne tempus lucretur, ut inteſtina arrodat; & convulſiones lethales producat. Cum ex oppoſito graviſſima metuenda ſint damna, ſi materia peccans vel quantitate ita abundet, ut haud ſatis cito ſubigi, aut educi queat; vel tanto acore cauſtico jam imbuta ſit, ut vel plane impoſſibile, vel ad minimum difficillimum ſit, hanc cauſticam bilis indolem invertere, antequam ſuam in inteſtinis ludat tragœdiam, unde ſemper ſimul reſpiciendum eſt ad cauſas remotiores concurrentes, quæ hanc acrimoniam concitare aut exaltare graviöremque reddere poſſunt, quo plures

enim, graviores, & majores hæ concurrunt, eo gravius ſemper pro re nata ſubeſt periculum. Ex partis affectæ conditione non negandum eſt quorundam hominum inteſtina generaliter fortiora eſſe, aliorum vero tenuiora ac teneriora, ſive hoc a ſpeciali textura, ſive a morbis ſæpe perpeſſis dependeat; de reliquo notiſſimum quoque eſt, tenuia inteſtina præcipue jejunum & ileon tenerioris conditionis eſſe quam craſſa; ideoque graviſſimum quoque periculum imminere, ſi ſaburra illa acris circa tenuia diu hæreat inteſtina, eorumque tunicas rodat vellicetque, quam ſi craſſioribus excrementis permixta acrimoniæ obtuſionem patiatur, horumque tunicas non adeo ſenſibiles, ita ſenſibiliter afficere nequeat. Inter ſubjecta tandem magis funeſta eſt hæc Diarrhœa infantibus tenellis, & quidem ex eo fundamento, quod apud illos quaſi tota congeries cauſarum periculi ſimul concurrat, in ſpecie autem ſimul conſiderandum ſit, quod ipſis potiſſimum a matribus aut nutricibus, ſub obtruſione lactis inquinati, ſimul quaſi motus illi ſpaſtici & convulſivi quibus ſub iracundia ipſæ laborant, quaſi communicentur, unde tanto graviora ſymptomata apud tenellos ſæpe breviſſimo tempore ſequuntur, brevemque vitæ terminum imponunt.

XII.

Ultimum & palmarium quod reſtat in noſtro labore, tandem concernet methodum medendi qua rite & legitime affectus noſter erit tractandus. Sunt autem indicationes curatoriæ principaliter eo dirigendæ; ut 1) Materia peccans tempeſtive ac debite removeatur, & evacuetur: ac ſi neceſſe fuerit ſimul corrigatur aut alteretur. 2) ut facta materiæ peccantis ſufficienti evacuatione, ſi forſan motus excretorii præter utilitatem aut neceſſitatem conti-

nua-

nuarent, hi ſiſtantur: & 3) Partibus affectis, quæ ordinarie hinc debilitantur, debitus reſtituatur tonus. Primam indicationem tanquam utilem & neceſſariam ipſa natura medico monſtrat, dum ſponte ſua materiæ illius noxiæ excretione manifeſta incipit: nil enim magis requiritur, quam ut noxia illa ſaburra quam primum fieri poteſt, inteſtinorum canalem dimittat, hæc vero ab illa, ejusque noxio effectu liberentur. Quamvis itaque ipſa natura hanc excretionem ſemper ſponte ſuſcipiat atque incipiat, nihilominus medici, officium requirit, ut naturæ ſuccurrat, negotium facilitet; dum natura facile ex variis cauſis occaſionalibus in materia peccante aut alibi hærentibus vel deficere, vel ex errore motuum ſuſceptorum nimium agere poteſt: unde medicus miniſtrum hic agat neceſſe eſt. Nec tamen noſtra eſt ſententia, ut ſtimulantibus, purgantibus validioribus, acribus rem aggrediatur, his enim oleum igni daret: attendendum itaque erit ſecundum individua, ad circumſtantias præſentes, & cura judicioſe inſtituenda: ſi itaque bilis multa & acris adſit, & motus excretorii per ſe ſatis validi exiſtant, ut dubius quaſi hæreat medicus, an evacuans ſuppeditare poſſit, bene actum erit, ſi rebus ſic ſtantibus, multa dilutione per juſcula pullorum, avenacea, hordeacea, vitulina, potum Theé materiam peccantem tenuiorem, & leniorem reddat, ejusque devolutionem extra inteſtina hoc modo facilitet: nec minus congruum erit pro acrimonia bilis acida obtundenda & infringenda, ſi abſorbentia acido citri ſaturata, imo pauco nitri remixta interponat; donec remittente impetu, lene abſtergens rhabarbarinum, vel etiam balſamicum lene amaricans remedium, quorſum bilulæ balſamicæ, Becheri, Stahlii,

pertinent, ſi genuinæ fuerint, propinare ſine metu poſſit: extra talem vero caſum expedit initium curæ ſtatim rhabarbarinis, aut dictis balſamicis, quæ etiam pro neceſſitate abſorbentibus maritari poterunt, ſuſcipere & fomitem mali removere.

XIII.

Apud infantes eadem in genere valet methodus, quoniam autem hi Rhabarbarum in ſubſtantia aliaque amara haud facile aſſumere poſſunt, loco illorum ordinarie mannata, & præparata rhabarbarina applicari ſolent: unde haud inconſulte Syrupus de Cichor. c. Rhab. & Elect. de Manna, vel Syr. de Manna anatice præſcribuntur, & ſucceſſive parvo cochleari pro conditione ætatis, ad Unc. ſemis, aut amplius intra diem aut nycthimerum propinantur. Ubi tamen repetito & quaſi ordinarie obſervavimus, ab uſu talium dulcium tormina non parum augeri, unde ubicunque id fieri poteſt, pulverem ex Bil. balſamicis lenioribus præferimus, eumque pro diverſitate ætatis ad grana 2. 3. 6. 8. 10. repetitis etiam vicibus intra duodecim horas, (ſi neceſſitas urgeat) cum uſu propinamus. Conducunt quoque eodem ſcopo, imo neceſſaria ſunt multis reſpectibus; præſertim apud infantes propter tenacitatem materiæ conjunctam, enemata abſtergentia & demulcentia, ex floribus Chamom. ſambuc, cum lacte, vitello ovi, & oleis parata, quibus materia excernenda non modo diluitur & temperatur, ſed inteſtina etiam demulcentur, elutriantur, blandoque calore foventur, quo ipſo dolores ſpaſtici, colici & torminoſi mitigantur, nec quidquam impedit, quin clyſteres tales aliquoties repetantur, modo ſine ſtimulo ſalino aut alio purgante præparentur: ne dicamus ſummam

mam aliquando neceſſitatem repetitionem clyſterum urgere, quando internorum remediorum aſſumtio per os difficillima exiſtit.

XIV.

Alteram quod attinet indicationem, huic reſpondebunt, demulcentia, emulſiva, mitigantia, nitroſa. Conducent itaque emulſiones cochleatim ſumendæ, ex Amygdalis dulc. ſem. Papav. alb. Pineis, cum Aqu. Meliſſ. Menth. Millefol. Chærefol. Cinamom. S. V. paratæ, quibus abſorbentia ex C. C. phil. præp. Lapid. Cancr. Coralliis admiſcenda ſunt, addita neceſſaria edulcoratione: vel illarum loco ſubordinando, aut interponendo, per vices horis ternis quaternis exhiberi poterunt pulveres abſorbentes, ex Lapid. Cancr. acido Citri ſaturatis, Corall. rubr. cum aliquot granis Nitri, addito quoque gran. 1. l. ½. MP. de. Cynogl. Non minus ſatisfaciunt huic intentioni ipſa diætetica, demulcentia, lubricantia, mitigantia, gelatinoſa, quo nomine juſcula amygdalata, Cremor hordei, avenæ, juſcula gallinarum, caponum, carnis vitulinæ: vitelli ovorum, aut ova ſorbilia, conducunt. Potus quoque ſit diluens aliquo modo tenuis, non feculentus, aut fermentativus, quo nomine conveniunt Decocta Hordei c. C. C. parata, infuſum Theé, aut Coffeé.

XV.

Tertia demum indicatio ſupponit, quod ſub ejusmodi excretionibus violentis per tempus durantibus, partes ſpecialiter affectæ, i. e. inteſtina tam a motibus tractoriis, ſpaſticis, quam a flatulenta expanſione, & copioſo quoque humiditatum affluxu, toni relaxationem patiantur; ideoque diſpoſitionem obtineant, ut facilius poſthæc humores decubitum huc ſervent, vel flatus perpetue & copioſe colligantur, nec minus ex accidenti

quaſi chyli diſtributioni promptioni aliquod damnum accedat. Unde neceſſe eſt, ut roboratio tonica partium toti curationi finem imponat, illamque claudat. Obtinebitur autem hæc indicatio per legitimam applicationem & ſubordinationem ita dictorum tonicorum, carminativorum, ſtomachicorum, imo leniorum ſubadſtringentium. Hæc ſubadſtringentia præprimis locum habent, ſi fortaſſe alvi profluvium adhuc ultra modum continuaret, & ex illis ſeſe commendant Corallia rubra, Unicorn. foſſile, Dens Hypopothami, & Cortex Caſcarillæ: quorum unum alterumve vel per ſe ad gr. 15. aut 20. repetitis vicibus propinari, vel cum aliis abſorbentibus ac nitroſis ſupra laudatis miſceri poterit: præ reliquis Extractum quoque Caſcarillæ ad grana 2. l. 3. abſorbentibus & reliquis hactenus laudatis cum fructu admiſcetur. Cohibitus vero ſi jamjam fuerit alvi fluxus, Eſſentiæ ſtomachales, carminativæ, & roborantes locum inveniunt, quo nomine ſeſe commendabunt Eſſ. Cinamom. Nucist. Menth. Millefol. Caſcarill. Sal Volat. Ol. Sylv. Eſſ. Carminat. Wed. aliæque, quarum ſufficiens in officinis proſtat numerus, e quo prudens Medicus facile ſelectum aliquem pro conditione individuorum inſtituere poterit. Neque ſub finem morbi, & quando nulla amplius metuenda eſt acrimonia, negligendus aut contemnendus erit moderatus Vini uſus atque potus, quod potius inter vera roborantia & tonica ſemper facile primatum ſibi vindicabit.

XVI.

Quemadmodum hæc omnia apud adultos & ſeniores faciliime ſuam inveniunt applicationem, ita aliqua circa illorum uſum emergit difficultas in ætate infantili teneriore, quippe quæ calidiora, ſpirituoſa, oleoſa, aromatica haud ita commode tolerare poteſt. Unde in hac ætate ſufficit pro neceſſitate pulveres abſorbentes & roboran-

rantes continuare, quibus aliquando, (verum non ſine judicio diſcretivo) olei cujusdam aromatici, Cinam. Mac. Aniſ. quartam guttulæ partem pro doſi admiſcere licebit; de reliquo autem illos calori atque quieti committere. Vel ſi res ita poſtulaverit, expediet per externa tonica ipſis ſuccurrere: quo nomine inunctio ventriculi & epigaſtrii cum *B*alſ. ſtomachali, vel cum aquis ſpirituoſis, Menth. Lil. Convall. Spiritu Menth. abſtract. concedi poteſt: aut loco illorum ſacculi paregorici, ex Herbis Menth. Meliſſ. Salv. Puleg. Ruth. Thymi, pulvere Cinamom. Nuciſt. Charyoph. parari, & vel ſicco modo, vel ſpirituoſo aut vinoſo liquore adſperſi regioni ventriculi admoveri poterunt: nec quidquam impedit, quum Emplaſtra, ſtomachale Crat. de Cruſta Panis, de Tacamahaca, cum oleis deſtillatis aromaticis pro neceſſitate irrorata in uſum vocentur; atque ventriculi regioni imponantur. De quibus externis remediis deſuper notandum, quod haud ſoli ætati infantili dicata ſint, aut eſſe debeant, ſed quod ſine omni metu ac dubio etiam apud adultiores ſuum habeant locum atque uſum, ſi de reliquo utilitas aut neceſſitas manifeſta illorum uſum indicet.

XVII.

Antequam totam noſtram tractationem obſignemus atque ad finem perducamus, neceſſitas exigere videtur, ut verbum quoque adjiciamus, de cura præſervatoria, & quomodo ægri in futurum a recurſu hujus affectus faciliori præoccupentur, atque pro viribus immunes reddantur. Conſiſtit autem hæc cura in bono conſilio, ut nempe per evitationem cauſarum præcipue antecedentium ac remotiorum, morbi geneſis præſcindatur. Quapropter adultiores monendi ſunt, ut in Diæta, calidiora, acriora aromatica, valde oleoſa & pinguia, in potu, exæſtuantes inebri-

ebriantes potus tam cereviſiarios quam vinoſos ac ſpirituoſos, eorumque exceſſus evitent, quippe quæ illa principia largiuntur, e quibus bilis oritur, & ſimul acrior redditur. Multo magis diæta utantur tenuiore, temperata, potu dilutiore ac diluente, ut acres particulæ tanto facilius ad legitima emunctoria devehantur. Cum tamen non omni tempore in cujuslibet poteſtate poſitum ſit, ut accuratiſſime regulas diæteticas obſervet, ideoque ipſo inſcio ac invito cauſæ antecedentes generari poſſint, haud inconſultum erit, ſi ejusmodi perſonæ quæ hunc affectum perpeſſi ſunt, præſervationis gratia leniore balſamico, aut rhabarbarino remedio aliquando inteſtina evacuant, nec non adhibitis nitroſis & ſalibus neutris ſeceſſum heterogenearum particularum ex humoribus tam per alvum, quam per urinam promovere ſtudent. Infantum præſervationem quod attinet, hic ars medica parum conferre poterit: dum miſeri puſiones non a ſe, ſed a paſſionibus & affectibus vel matrum vel nutricum in hoc paſſu dependent. Interim optandum eſſet, ut matres atque nutrices circumſpectas ſe gererent, ratione iræ, eique ſe non ita frivole committerent, ne irreparabile ſæpe damnum conciliarent infantibus; ad minimum monendæ ſunt, ne ira commotæ infantibus ſtatim mammas præbeant, eas potius ſtatim emulgeant, lac illud abjiciant, & poſt aliquot demum horas purius lac in mammis collectum infantibus offerant. Hæc ſunt B. L. quæ tecum hac de materia communicare animus fuit. Nos ſupremo Numini grates referimus immortales, quod vires mentis ac corporis tantum largiri benigniſſime voluerit, ut præſentem laborem, quem proximo ægrotanti ſalubrem atque proficuum optamus, ad felicem perducere potuerimus

F I N E M.

FIllius eſto medens erat unum velle parentis.
Scilicet ille fuit medicorum magnus amator.
Hoc implere ſtudes, FRATER, nam purpura fulget,
Præmia! quæ Pæon tibi tradidit arte peritus.
Gratulor atque precor multum tua gloria creſcat,
Numinis auxilio ſanes medicamine multos.

Ita fratri ſuo doctorando gratul.

Joh. Chriſtoph Münnich,
J. V. C.

DEcernit medico laudes ſanctumque volumen;
Aſt animum nacto ſplendeſcentem arte medendi,
Arti Pœonis quos, TU, ſolers tribuiſti,
Quam pariunt magnos radios nunc, ecce, labores!
Gratulor. *omnipotens numen* tua cœpta ſecundet,
Ut morbis ſemper depulſis, laude fruaris:
Sit TIBI fauſtus honor, ſint præmia fauſta laboris,
Quo tendis nunc, fauſtaque ſit laurus tua, FRATER.

Sinceritatis affectum animumque gratulabundum declaraturus ſcripſit.

J. W. Münnich,
p. t. Eccleſiaſt. ad æd. Caſt. Calb.

VT convenit cum præmio vulgo labor,
Sic cum labore præmium:

Bonusne, FRATER, hactenus labor tuus,
Qui factus Halæ ſedulo?
Nam doctus a Stabelio fideliter,
Diu parabas chymica,
Quibus bonas poſthæc eodem judice,
Dabas medelas morbidis,
Felix ibidem per triennium, dein
In patria ſolus tua.
Nuper ſecantem Te probant examina
Jam Berolini laudibus.
Quapropter offert hac die nunc præmia
Pæon tibi permaxima,
Dum vertices coronat purpura tuos;
Summos honores conferens,
Sperans medentem Te ſtatim quam plurimis
Nunc profuturum civibus.
Hinc gratulor Tibi precans in commodum,
Multum medenti cedere.

Fratri hoc voluntatis monumentum poſuit

Joh. Samuel Münnich,
Schol. Calb. Con-Rect.

CUi genius ſolers & mens virtute coruſcat,
FRATER, ei ex meritis rubra tiara manet.

Hoc fratri honore ſocio

Joh. Fridr. Münnich,
Med. Cand.

DJe GALLE richtet oft ſehr groſſes Unheil an,
Drum thut der Artzt ſehr wohl, der das verhindern kan.

Herr

Herr Bruder, weil Du itzt davon wirſt diſputiren,
Wie ſolche Würckungen gar leichte zu curiren:
So wünſch ich Glück dazu, nebſt GOttes Gnad und Kraft,
Die ſelbſt durch Deine Hand den Krancken Lindrung ſchaft.

Johann Gottfried Münnich,
Philol. Stud.

Herr Bruder ſo iſts recht, Du weiſeſt mir die Bahn,
Wie ich dereinſt wie Du mit groſſen Vortheil kan.
Auf den Parnaſſum gehn, durch fleißiges Studiren,
Drum läſſet Halle Dich beſonders davor zieren.
Deswegen wünſche ich, GOtt laß die Artzeneyen,
Die Du hinkünftig giebſt, bey jederman gedeyen.

Seinem Herrn Bruder zu Ehren ſchrieb dieſes

Johann Emanuel Münnich,
Philol. Stud.

Da Deinen Nahmen jtzt ein groſſes D. bezieret,
Da Dein gelehrtes Haupt trägt einen Doctor Huht,
Und die Verbundenheit mir zu Gemühte führet
Zu thun, was jeder Freund in gleichen Fällen tuht:
So nimm dis gütig auf was ich hieher geſetzet,
Zu zeigen meine Pflicht und unverfälſchte Treu.
Es hat wer Dich nur kennt, ſchon längſtens dis geſchätzet

Wie

Wie daß Dein muntrer Fleiß der Ehre würdig ſey:
Deßwegen wünſch ich nur, daß unter Deinem Fleiſſe;
Und den Belohnungen auch eine Gleichheit ſey;
Damit das Sprichwort auch an Dir erfüllet heiſſe
**Viel Ruhm und Güter giebt Gale-
ni Artzeney.**

Im geneigten Andencken wolte ſich dem Herrn
Doctori hiermit gehorſamſt empfehlen.

Benjam. Schmidt, L. L. C.
Cüſtrinens. N. March

PArvus haud Bellebia porro pagus,
Eſto, dum nunc conſpicuus futurus
Eruditis pluribus ex eadem
hactenus ortis.
Hæc dedit quos curia poſcit uſu,
Theilogos eccleſia ſumſit inde,
Queis ſcholæ templique cathedra captat
dogmata ſacra.
Nunc Appollo conſtituit duo vos
De novo ſanare, caput coronans.
Neſcio quid reliquis futurum
ſub grege docta.
Interim FAUTOR, tibi gratulabor,
Ac ſimul poſt fauſta precabor, optans,
Vt cluat Bellebia Te medente
tempore multo.

Godofredus Brand,
Brandenb. Meſo-Marchic. L. L. Stud